

14.
Carmina Gratulatoria.

INFELIX AV-
SPICIVM ET HONO-
REM NVPTIARVM DO-
CTISS: VIRTUTE ET PRVDENTIA OR-
natis: viri Dn. Magistri IOHANNIS CVN-
RADI, status ciuitatum veteris Marchiæ
Quæstoris & Reipub. Stendaliensis Secre-
tarij, Sponsi: Et amplissimi prudentissi-
miq; viri Domini IACOBI SCHÖNHAV-
SII, de Republica Stendaliensi benemeri-
ti eiusq; Senioris consulis optimi, ho-
nestissimæ & pudicissimæ fi-
liæ, Sponsæ.

SCRIPTA AB AMICIS.



Magdeburgi excudebat Andreas Gena.

M. D. LXXX.

IN FELLE AV

NOVIT ET HONOR

REPTA VITAE VITAE

CTIBUS ET RVDENTIA

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE

REPTA VITAE VITAE



Versibus hesternis me ludere luce juvabat,
Ad quos materiam tu mihi, **S**ponse, dabas.
Qui licet è tenui videantur origine nati,
Accipias tamen, & , si vacat, ipse legas.
Est leve quid, fateor, sed sit tibi grata voluntas,
Quæ bona si satis est, Versus & inde bonus.



Quodine Pieridum cultores surgite
læti,
Antè quibus toties dexter **A**pol-
lo fuit.
Et nova gratantes effundite carmi-
na Sponsis,
Felici quos nunc omine jungit
Hymen.

Hic Sponsi celebret dotes, canat alter honores,
Eximium Sponsæ prædicet ille decus.
Exiguæ, fateor, mihi sunt in carmine vires,
Ut meritò tantum vena recuset onus.
Pro Sponsis igitur mihi vota sit addere curæ,
Non aberunt quorum carmina laude vigent.
Vota canam, rutili penetrant quæ nubila cœli,
Quæ bibit aure **D**eus, vana nec esse sinit.

A ij

Alme

Alme DEUS (qui sic sapienti Numine dixti,
Cum vix esse recens ceperat orbis opus,
Cum pare cuncta suo consortia tempora ducunt,
Bruta solo, volucres aëre, piscis aqua,
Ergò solus Adam non sit, sed habebit amicam,
Vivat ut in socio foemina virq; toro)
Præsul ades, thalami susceptum perfice foedus,
Auspicioq; tuo vita jugalis eat.

Adis SUMME PARENS divini Numinis aura,
Atq; Ducis Stygii vim cohibeto manu.
Ne, quod agit, Sponsis inter nova gaudia turbet,
Sed sacro firment foedera pacta loco.
Cumq; Sacerdotis vox hos conjunxit ad aram,
Illorum placeat vita jugata tibi.
Annuat ambobus tua sidere dextera fausto,
Sit pia tota domus, nec sine pace torus.

CHRISTE VENI, VERBUM patris, & connubia dextræ
Præside te peragant ut nova, CHRISTE VENI.
Ut Sponsis aderas in Cana munere largo,
Pro puro reddens dulce liquore merum:
Sic ornare velis hos Sponsos, atq; beare,
Omnia quò teneant te tribuente bona.
Dulce sit in thalamo mel, fel sed inutile cedat,
In vinum vertas tristia cuncta bonum.

SPIRITVS alme fave, sine quo nil tramite recto
Ire potest, omnis te sine friget amor,

Tu re-

Tu respondentem Sponsis infunde calorem,
Diligat ille suam, diligat illa suum.
Ut natos videant, pulcerrima pignora lecti,
Impleat & lætam turba tenella domum.
Absit ERIS, pius adsit EROS, sit utriq; fidelis
Mens & amor, capiat noxia rixa fugam.
Sic benè felices, cum Sponsa Sponse pudica,
Vivite, sic Pylii vivite secla senis.
Tangat amor simul & divini pectora verbi,
Cœlica sic restant, post fugitiva, bona.

EPIGRAMMA

CHORDES init liciti socialia fœdera lecti, (ræ.
Ergò sonet Cytharæ CHORDA, sonetq; Ly-
CHORDA sonet, lepidum dent Organa læta tenorè,
Extollat vocem Musicus ordo suam.
CHORDAM quisq; suam tangat, quacunq; sit arte,
Sive queat plectrum ducere, sive canat. (vis,
Cuncta repræsentent Sponsum, cui CHORDA sua.
Cui CORDI numeris Musica blanda suis. (drent
Cumq; novo Sponso CHORDES, nostræ benè qua-
Ut CHORDAE, fac sint CORDA probata fide.
Candor vtrunq; juvet, Constantia mentis apertæ,
Et fraternus amor: Sic benè CHORDA sonat.

Stephanus Cleinovius F.

A iij

Aliud

ALIVD.

Splendorem generis vestri, cum dotibus Artes,
Quoq; modo thalami perficiatur Honor:
Forsitan egregij describent carmine vates,
Delicias Musæ quos docuere suas,
Ergo ego pro vestra fundam pia vota Salute,
Verus ut & suavis pectora jungat Amor,
Vtq; animis multos concordibus exigere annos
Possitis, longa & stirpe beare domum.
Noster hic est animus, nostris Christe annue votis,
Atq; pijs precibus pondus inesse sine.
Et tu Sponse fave, vultu quoq; sume sereno
Quæ legis in laudes carmina nostra tuas,

VOTVM.

Rex cœlitum ter maximus,
Qui casti Amoris autor est,
Exornat omnibus bonis
Qui castitatem diligunt.
His castitatis præmijs
Ornatus est amplissimis
Ioseph, Deo dum nititur
Vitans vagas libidines.
Ast Holofernes improbus,
Cum perfidis Legum arbitris,
Et vr-

Et urbe Sodomitica,
Extinctus est miserrime.
Sic punientur cæteri,
Qui castitatem negligunt,
Pravis scatentq; affectibus,
Se polluantq; turpibus.
Vt rafa turba Bestiæ,
Placare vita in coelibe
Quæ vult Deum jeunijs,
Suisq; sanctimonijs,
Beatus at ter & amplius
Qui spem suam in Deo locat,
Semper paratus exequi,
Quod ille verbis imperat.
Hic palma sicut germinat,
Huic nulla vis molestiam
Creat, nocet nec impia
Crudelium crudelitas.
Mi Sponse docte & splendide,
Sanctiq; Iuris Arbitræ,
Decus tuorum civium,
Ac magna spes nostratium:
Favet tuis castissimus,
Ergo Deus Sponsalibus,
Amore iungens sauciam
Tibi pudicam virginem.

Quam

frat

Qvam stemma Laus non ultima
Ornat, magis sed castitas,
Morumq; Decus, & Gratia
Puellulis Laus maxima.
Sis ergo ei mitissimus,
Vester quo Amor sit mutuus,
Et una mens fiant duo
Constricti amoris vinculo,
Cordis tui sit gaudium,
Sit luce cara carior,
Hanc plus tuis ocellulis
Perenni amore diligas.
Sic quæ solent Amantium
Turbare sacros ordines,
Contentiones, Iurgia,
Procul recedent omnia.
Contrà beata faustitas,
Opes, Honor, Concordia,
Vobis aderit & optimis,
Ornata proles moribus,
Nam quas colit domos pia
Pax, ditat omnibus bonis,
Et pax ubi est & caritas,
Hic degit & Rex cœlitum,
Nunquam queat contingere
Res ulla nobis gratior,
Qvam

Quam si sit ambobus bene
Feliciterq; amantibus.

Precamur ergo supplices,
Precatur & Paulus tuus,
Affinis & Schonhausius,
Et turba Gratulantium:

Vt omnium rerum potens,
Terræ poliq; conditor,
Sua benigna Gratia
Vobis abundè conferat,

Vitam ut beatam ducere,
Fruiq; dulci gaudio
Diu qveatis coniuges
Custode securi Deo,

Ioachimus Stederus Stendal. Scho-
lae patriæ Corrector F.

ALIVD.



Angite dulcisonam digitis Cytharamq; Ly-
ramq;

Pellibus & chordis psallite grata DEO

Dicite Iò Socij, nunc tempora cingite Lauro,

Lætaq; dis paribus dicite verba modis.

Promite melliflua dulcissima carmina uoce,

Carmina nunc sponso pangite suauisona.

B

En tha-

En thalamos ornat sacro spiramine Sponsus
Atq; iterat liciti debita iura tori,
Post tristes cineres iam gratia ridet ocellis,
Iam visa est animo casta puella suo.
Eligit ante alias pulchris ex ædibus illam,
Cui pulchras dotes contribuere DEAE,
Blanda CHARIS mores; Formam Venus, Inclyta Pallas
Ingenium, laudes auxit uterq; parens.
Hæc (verum) est sinceræ religionis amatrix,
Et summo sponsi flagrat amore DEI.
Hæc Christi Domini sitientibus auribus haurit
Sponte salutiferi dogmata sancta Dei.
Nam quoniam genitor vera pietate tenetur,
Æternumq; Deum mente, fideq; colit.
Inde sui sequitur vestigia virgo parentis
Non siquidem longè à stemmate poma cadunt,
Nam veluti fortis de forti nascitur Heros,
Atq; bono proles pulchra parente venit:
Optima sic de patre bono sua virgo retraxit
Semina, quæ placitis anteferenda bonis.
Est virgo intemerata sui haud oblita pudoris
Transegit vitæ tempora recta suæ.
Haud nitet in facie fucus, rubor ora venustat,
Sed roseus propriis splendet adaucta bonis.
Et decor & vultus sine rusticitate pudentes
Et Thetidis quales vix reor esse pedes

Hæc

Hæc reliquas inter proprio pulcherrima vultu,
Clara velut noctis tempore Luna nitet.
Singula quid referam, referam quid singula verbis
Tristitiam nullam fronte vel ore gerit.
Est mihi sat felix, talis cui contigit vxor,
Quam decorat pietas, forma venusta beat.
Hanc igitur non te sociam ascivisse pigebit,
Sponse, tuo certe est digna puella toro.
Quin potius gaude, totoq; ex pectore plaude
Illa tibi juncta est quod faciente DEO.
Præ reliquis nec non intra tua pectora gaude,
Sponsa, quod es tali consocianda viro.
Cui placuit doctas pectus coluisse per artes,
Dogmata cui placuit discere sacra DEI.
Qui genus insigni traxit de stemmate auorum,
Nec minus antiquis degeneravit avis.
Ivit ad ignotas urbes, loca multa petivit,
Quæ procul à patria sede remota jacent,
Artibus ingenuis illinc insignia sumpsit,
Dotibus ingenii præmia digna tulit.
Sanctas hic coluit leges, & solvere novit
Doctores: aut quid Bartolus ille docet.
Contigit ars multo multum spectabilis usu,
Ostendens vires non sine laude suas.
Sedulius officio, ne Res quid publica damni
Sentiat, hoc peragit dexteritate sua.

B ij

Iustici.

Iustitiam colit, & sequitur consulta senatus
Arcanum tuto pectore condit opus.
Hinc Sponsi candor, virtus, laus, nobile nomen,
Atq; fauor populi surgit & inde viget.
Musica corda fouet, Musas, & Musicus hic est,
Musica qui sponsæ carmina multa canet:
Annula cara veni, mea candida, candida Sponsa,
Annula cara veni, candida Sponsa veni.
Est tua vox dulcis, tibi melle suauius os est,
Quidq; tua lingua dulcius esse potest?
Candida Sponsa veni, thalami nec gaudia differ,
Sum tibi lætitiæ mœstitiæq; comes.
Ergo præ reliquis intra tua pectora gaude,
Sponsa, quod es tali consocianda viro.
Omnes exoptant vobis ex corde salutem
Vt res inceptas prospera fata beent.
Exultant frondes, lætantur & undiq; ciues,
Optant lætitiæ cum patre, tota domus.
Turba Senatorum Sponso quoq; fausta precatur,
Gaudet coniugio turba nouena tuo.
Grator & ipse tibi, mihi terq; quaterq; beatus
Cui datur à domino foemina fida suo.
Grator & ipse tibi pariter pulcherrima Sponsa
Prospera q; ex imo pectore fata precor.
Prospera fata precor nam res est ista Tonanti
Gratior, ac illi displicuisse nequit.

Sicut

Sicut enim dominus clari moderator Olympi,
Qui sanxit sacri iura pudica tori,
Pectore qui vero veneratur Numina Christi
Ac liciti lecti foedera, semper adest,
Nec non ex hominum veniunt qui pectore puro
Legitimos ignes approbat, atq; juuat:
Sic quoq; supplicio tristi justissimus ultor
Afficit illiciti foedera quæq; tori.
Ac illos blandæ veneris qui castra sequuntur
Quæ verso in venerem Numine corda tenet.
Sed quo digredior? læti tolerate labores
Coniugii, Deus & dulce leuamen erit,
Si fidei cultu meritum præstatis honorem
Et facitis quicquid iusserit ipse DEVS,
Munere tunc vobis aderit largoq; beabit,
Sic dabit in vestrum lacq; merumq; torum.
Desino, nam pater Heliadum digressus ad undas
Occiduas lassis frena resoluit equis.
Ergo Deum solus qui castos sanxit amores,
Atq; duos vero jungit amore, precor:
Sit thalamus prosper, thalami sint pignora salua,
In vestrum veniat rara querela torum.
Viuite concordēs, lis & procul ira facessat,
Vnaq; vos parili nectat amore fides.
Sit sine lite domus, sed non sine prole torus sit,
Absit Æpis thalamo, non tamen absit Æpous.

B iij

Et ge-

Et genus innumeros vestrum propaget in annos
Cernatis liciti ut pignora multa tori
Quæ decorare queant ædes velut aura racemos,
Et celebrare sacrum nomen in orbe DEI:
Hæc precor eueniant facilis præfagia mentis
Da Deus ô vires in mea vota tuas.

Ioachimus Sarnouius Organi-
sta Stendaliensis.

ALIVD.



Audet amore Deus casto: cum mente venite
Casta, quos thalami fœdera casta iuvant.
Ex aliis lectis alios conscendere gaudet
Connubii veritus subdere colla iugo.
It furor: insequitur Levitas: Audacia circum
lungitur, & Nemesis turpe secuta scelus:
Crimine digna suo Tereus: Vulcania Mavors
Vincula, conjugium sole negante, tulit.
Hinc est, Priamides, quod magnam evertat opum vim:
Eruit hinc oculos Oedipus ipse suos.
Hinc quoq; , nî fallor, Musis gratissime Sponse,
Ferre negas vitæ cœlibis ipse vices.
Vt fugias pœnam, maneasq; libidinis expers,
Legitimo sociam quæris habere toro.

Te ce-

Te celebrare decet, qui turpia furta perosus
Submittis iussis pectora casta Dei,
In te vera Fides habitat, Pietasq; , Timorq; ,
Et, qui divino Numine venit, Amor.
Ergo, quando vacat, teneris attende Camœnis,
Quæ gaudent thalamo dicere fausta tuo.
Pallas, Apollo, Themis, nec non Venus alma, venustis
Te faciles donis excoluere suis.
Persequar hoc: Pallas te sacras duxit in artes,
Armigera plenum Pallade pectus habes.
Quâ duce vita fuit studiis accommoda: mores
Artibus assimiles convenienter eunt.
Qua duce jam multos volitat tua fama per urbes
Artibus, utilius nil quibus esse potest.
Aurea lux mundi Sol est: lux aurea vitæ
Artes: quas veræ lucis origo fovet.
Solem tolle polo: totus nigrescet olympus:
Artes tolle solo, concidet omne decus.
Post tibi Calliope, large tibi dexter Apollo
Parnassi sacras suppeditavit aquas.
Vnde modò superi cœlesti sede relicta
Ad thalami properant gaudia sancta tui.
Quos inter Cithara præsignis Apollo canora
Præ reliquis casto nunc favet ipse toro.
Hinc sacra Pegasidum comitata caterva sororum
Gaudet ad hæc etiam gaudia ferre pedem.

Sed Dea

Sed Dea te quonam decoravit munere, rectum
Quæ probet & iustum justior ipsa colit?
Qua duce linquentes coguntur solvere pœnas,
Qua duce pro factis præmia dignus habet?
Quæ coluit cœlos cœlis fata, donec in urbes
Ipsa urbis cultrix tendere iussa fuit?
Scilicet hæc, juris pelago te Sponse natente m
Ut cernit, placido suscipit ipsa sinu,
Publica florebit res hinc te sospite: floret
Res, ubi justiciæ cultor adesse solet.
Legibus instructus clares: tibi maxima cura
Mentem, non legum noscere verba fuit.
Deniq; spiravit flammæ in corporis artus,
Quas nullo extingues tempore, blanda Venus.
Aspice fert flores, constringit corpora cæsto,
Litibus ut nullis imminuatur amor.
Vivere felices optat, quos corpore solo
Esse duos, eadem mens probet, vnus amor.
Sunt duo: sunt unum: mirum: duo corpore, mente
Vnum: sic geminum corpore mente coit.
Mente cupit jungi cum corpore digna favore
Nympha tuo: juvenis corpore, mente senex.
Claro clara patre est, & casta matre pudica est:
Clarum stemma placet, sed magis ipse pudor.
Ceu micat ipsa Venus: sic emicat illa puellas
Inter & Hesperii sideris instar habet.

Labra

Labra rosis certant ejus : sed colla pruinae :
Talia non Hero Sestias ante tulit.
Non violæ crines æquant : non lumina flammæ :
AEmula sunt albæ brachia pulcra nivi.
Egregius justo neq; sanguine candor abundet,
Temperies membris omnibus apta subest.
Leucothoes vincit digitos : humerosq; Dianæ,
Non similes habuit candida Flora manus.
Sed licet excellat forma : pietate meretur
Illa tamen veræ laudis habere decus.
Gratulor ergo tibi Musarum gloria Sponse,
Hoc opus & vitæ commoda quæq; precor.
Solam solus ama sponsam : solam cole : soli
Huic sociæ socium te sociare velis.
Gaude Sponsa tibi atq; intra cape pectora plausum,
Quod Deus hunc socium destinet esse thori.
Numen ab illius lucet venerabile vultu,
Gratia larga favis gratior ore sedet.
Vix est quem tali possis præferre marito :
Quid poterit Clario clarius esse viro?
Ergo sola viri solius pectus amabis :
Huic socio sociam te sociare velis.
Est amor infelix , ardor nî corda duorum
Stringat , alantq; pares foemina virq; faces.
Gignite cara Deo vos pectora : gignite mundo
Pectora : mundus amat , flagitat ista Deus.

C

Deniq;

Deniq; sit felix sponsus: sit conjuge felix
Sponsa: senis Pylii vivat uterq; dies.

ALIVD.



Ic ut fata volunt, non ut sua quenq; voluntas
Afficit, inconstans alea iacta cadit.
Non quod fatali contingant omnia lege,
Provida quam nequeat tollere cura Dei.
Vel casu: Poteris cujus non dicere causam,
Ut cum Democrito plurima turba putat,
Sit sua vis astris etiam, stellisq; potestas,
Et genesi faveat non malè quisq; suæ.
Ex sacris hausta est potior sententia libris,
Omnia factoris mente creata regi.
Non penes est homines, vates ait, ulla facultas,
Propositum proprio Marte tenere viae.
Nullius absq; Dei tanta est sapientia ductu,
Ut possit rebus fungier ipse suis.
It labor in ventos, multam qui noctis in horam
Diditur, & Phœbo iam redeunte manet,
Hunc Deus ex alto non quando secundat olympos,
Qui beat in somnis ex bonitate suos.
Ipse refert Christus, de quo dubitare nefas est,
Nos sine nil quicquam numine posse suo.
Quin avium genus, assvetum non ferre laborem,
Quod nec aratra trahit quod neq; rastra colit.
Sic alit omnipotens pater & tutatur, ut unquam
Non nisi permissu præda sit ulla suo.
Detraho quid causis nulla ratione secundis,
Has etiam vires testor habere suas.
Sed triplex illud venerandum poplite numen
A quo principium vesper & ortus habent.

Quas

Quas res effecit, solum dominatur in omnes,
 Imperij socias nec bene ferre potest,
 In primis hominum genus, & quos ante volebas
 Aeterna post hæc fata salute frui:
 Hos ex arbitrio, nullo impediante, gubernat,
 Et miris alios evehit ante modis.
 Clytus Alexandri nudatum regmine, ferrum
 Iam iam stricturo, seruat ab hoste caput.
 Hic mihi Democritus casum, prætenderet astræ
 Astrologus: Divum munus opusq; fuit.
 Primus Achæmeniaë qui fines protulit oræ,
 Expositus tenero lacte monarcha caret:
 At Deus invertit crudelia jussa parentis,
 Ne famis afferret vis diuturna necem.
 Orbis in hunc siquidem voluit stabilire secundum
 Arbitrium, Asyrj quo cecidère Duces,
 Abiectum Moisen jussu Pharaonis in undas,
 Excipit, & placidè regia nata fouet,
 Quem Deus afflictæ decrêrat mittere genti
 Auxiliatorem magnanimumq; Ducem.
 Fratibus invisus subijt Iosephus acerbas
 Fortunæ, relevans spe sua damna, vices.
 Ast capitale nefas fratrum bene cessit: habenas
 Totius Ægypti rege volente capit.
 Vsq; adeò mentes hominum pia numina flectunt,
 Ut profint quando maximè obesse volunt.
TE quoq; cui viduo jam nunc datur Annula nuptum,
 Hastenus insigni fouit amore Deus.
 Sanguinis in causâ ratio est, insurgere coram
 Parcus in laudes carmina nostra tuas.
 Conjugis extinctæ cum mens renouaret amores,
 Rectricemq; domus posceret orba novam.
 Osibus occultum, fuit ut rumusculus, ignem
 Sparserat, è patrio virgo decora foro.

C. ij.

Errat.

Errat, livorem quisquis causatur inertem,
Quod non ad vires venerit illa Venus.
Namq; vbi senserunt superi te sanguine duci,
Vallis in has auras quem lapidosa dedit.
Pronubus ipse Deus, longè hanc præviderat A N N A M.
Iret in amplexus quæ nova nupta tuos.
Ast velut intermedijs prius assolet uti,
Quam capiant formam præmeditata suam.
Sic te Stendaliam primum quæstura vocabat,
Publica Res tabulis præficit inde suis.
Muneris hinc ratio cogit te consulis uti,
Qua sedet exulta virgo decora domo.
Conspectus simul ac primum se mutuus offert,
Mutuus amborum pectora stringit amor.
Sic aliò constat fato te figere sedem,
Posthabitis patriæ non sine pace focis.
Singula nunc operam deposcunt oppida, quam tu
Vni præstabas sedulus ante, tuam
Nil minus ast vni quod adhuc impendis eandem,
Te commune facis, me sine teste, bonum.
Sic etiam fato iam te formosa maritum
Anna facit, faciat sapius opto patrem.
Lætus ut aspicias natos dulcesq; nepotes
Innumerè mensas condecorare tuas
Qui superos pietate, genus virtute, parentes
Obsequio, patriam, qua licet, arte colant.
Utq; sit oro tenax fauor omnipotentis, agatq;
Te penes atq; illos serius ille moras,
Et saturos acto brevis huius tempore vitæ,
Vita post obitum vos meliore beet.

P. Curtius.

FINIS.

1534 04


AB 153404


ULB Halle
002 671 190 3



SR








Carmina Gratulatoria.

INFELIX AV-
SPICIVM ET HONO-
REM NVPTIARVM DO-
CTISS: VIRTUTE ET PRVDENTIA OR-
natis: viri Dn. Magistri IOHANNIS CVN-
RADI, status ciuitatum veteris Marchiæ
Quæstoris & Reipub. Stendaliensis Secre-
tarij, Sponsi: Et amplissimi prudentissi-
miq; viri Domini IACOBI SCHÖNHAV-
SII, de Republica Stendaliensi benemeri-
ti eiusq; Senioris consulis optimi, ho-
nestissimæ & pudicissimæ fi-
liæ, Sponsæ.

SCRIPTA AB AMICIS.



Magdeburgi excudebat Andreas Gena.

M. D. LXXX.